



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos
Distributa

Ilsung, Jakob

Dilingæ, 1693

Meditatio CCCLXXXI. Continuatio Ejusdem Parabolæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

tias age DEO , quòd ultima hac ætate Mundi vocatus sis : & brevitatem Servitij Divini , laboris intensione compensa , ut consummatus in brevi expleas tempora multa . Sap . 4 . v . 13 .

PUNCT. II. Considera, per prædictam horæ di versitatem 2. denotari diversam ætatem humanam , scilicet pueritiam , adolescentiam , juvenilem , virilem , & senilem ætatem , quâ homines DEO in Ecclesia , vel in Religione servire cæperunt , tempore præterito stantes otiosi . Dole itaque de jactura temporis præteriti , & fervore novo supple præcedens otium , haud excusabile ex eo , quòd nemo te conduxit : nec admitte , ut à junioribus supereris . Cogita denique tempus vitæ reliquum ultimam horam esse . Ideo S. Joannes Epist . 1 . c . 2 . v . 18 . scribit : *Filioli , novissima hora est .*

PUNCT. III. Considera, prædicta horarum di versitate 3. etiam cujusque diei intervalla distingui : unde quoties nova hora insonuit , cogita , te à DEO vocari ad operam ; & ita quamvis horam impende , quasi ea ultima esset futura . Si enim unica hora potuit compensare præcedentium horarum remissio nem , & languorem , quantum merebuntur multæ horæ ferventer peractæ ?

MEDITATIO CCCLXXXI.

Continuatio Ejusdem Parabolæ.

Matth. 20.

PUNCTUM I. Cùm serò autem factum esset , dicit Dóminus Vineæ Procuratori suo : *Voca Operarios , & redde illis*

366 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.
illis mercedem, incipiens à novissimis usque ad primos. Matth. 20. v. 8. Considera plenam mercedem, quā reddidit Corporis & Animæ Beatitudo, differri usque ad finem Mundi, & tunc, cùm ita serò factum fuerit, omnes Operarios vocatum iri, ut singuli mercedem accipiant. Noli ergo recipere mercedem in hoc mundo nisi sis inter illos, quibus dicetur: *Recepérunt mercédem suam.* Matth. 6. v. 5. Præterea considera, novissimis fore primos in recipienda mercede, & primos fore novissimos: quo tamen non ordo temporis, sed dignitatis indicatur: non enim, qui diutius, sed qui ferventiū ac intensiū Deo servivit, alteri in Gloriæ retributione præferetur.

PUNCT. II. Cùm venissent ergo, qui circa undecim horam venerant, acceperunt singulos denarios: Venientes autem primi arbitrati sunt, quod plus essent accepturi: acceperunt autem & ipsi singulos denarios. Et accipientes murmurabant adversus Patrem familias, dicentes: Hi novissimi unā horā fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, & æstus &c. Considera, his verbis non significari, omnes Beatos fore pares in Gloriæ; sed solum significari, quod qui breviori tempore vixerunt, aut Deo serviérunt, Meritis possint æquari alii diutius, sed remissiū servientibus: neque tamen isti verè murmuraturos; sed modo loquendi parabolico significari æquitatem Judicis, etiamsi hominum iudicio videatur iniquum, quod isti diutius quidem, sed remissiū servientes, non plus præmij accipiant. Ideo excute languorem ac remissionem, & non tantum contendere æquare, sed etiam superare eos, qui languescentes in Divino Obsequio consenserunt. Considera etiam, quod sæpe unicus fervens actus magis

placeat DEO , quām mille languidi ac remissi : & unum devotum *Ave MARIA* multis Rosarijs distractè recitatis præstet.

PUNCT. III. *Sic erunt novissimi primi , & primi novissimi: Multi enim sunt Vocati, pauci vero Electi.* v. 16. Esto ergo de numero paucorum : nec tepidorum exemplis à studio Perfectionis te finas abduci ; nec statim credas , id , quod à pluribus fit , rectius fieri. Non sittibi sati s , te vocatum esse ad Religionem ; sed cura etiam , ut sis Perfectus & Electus.

Annotation.

Nota,hic finiri Tertium Prædicationis Annum , & sequi gesta Anno Christi Trigesimo Quarto , Prædicationis Quarto , mense Martio , cuius Die vigesimo quinto Crucifixus est.



MEDI-